

$\pi_c$   
1806





h. 534, 33

B. m. 1

II c  
1806

MATH. CASIMIRI SARBIEVII


R. P. SOC. IESV. POLONI

ELEGIA

ITINERARIA

EX MSC. EDITA

LIBRARIATUM  
UNIVERSITATIS  
DRESDENENSIS



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (EMLE)

DRESDAE

IN OFFICINA HEKELIANA

A. S. clō Idcc LIII



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



# V I R O

REVEREND. CLARISSIMO

M. IOANNI. ZAVMSEILIO

DIGNISSIMO

APVD. ERCKMANSDORFENSES

INAUGVRATO. PASTORI


S. P. D

LEBRECHT. GOTTHELF. LANGBEIN

salutatos ergo me fratresque meos non reliquisti.  
I Hoc equidem laetor. De sincero tamen Tuo, er-  
ganos, studio, iam ex Academia certi, id speraba-  
mus. Itaque ex his ingenuum constantemque  
nostrum erga TE animum etiam cognosces, quibus nouum  
munus TIBI faustum auspicatumque animitus gratulamur.  
Vouent fratres, egoque etiam voueo, simulque SARBI-  
EVII nondum editum Itinerarium Romanum exhibeo, TI-  
BI, vt credo, fautoribusque SARBIEVII gratum. Rara  
certe scriptio, meamque commentationem de SARBIEVII  
vita, ad pag. XLIII. scienter interpretans. Tabula etenim  
est quasi Geographica, cursus, quem tenuit ex Vilenſi Col-  
legio, ad Urbem, scriptaque videtur, sub aduentu. Il-  
( ij lius

lius copiam mihi fecit iucundissimus atque R. P. LVD-  
VIC. BEMFELD, Polonus Boruffus, cuius alio loco men-  
tionem cum laude inieci. Ipsi, in Crofensi Collegio dum  
moraretur, forte fortuna hoc cimelium in manus peruenit,  
et ante annum et quod excurrit apud me deposuit. Ani-  
mo quidem habueram deliberatum constitutumque, vt  
cum *Operibus SARBIEVII Postumis*, tribus tomis compre-  
hensis, quae deperdita hinc inde in meo commentario  
plorauit, nunc vero inuenta in Collegio Colonensi de-  
nuncio, ederem. De quibus in praesentia nil dico.  
Edita, etiam ad TE curabo. Deum precaberis, vt sani-  
tati meae perpetuitatem addat, turbulentissimumque vi-  
tae, quod nosti, meae genus, in gratius et tranquillius  
commutet, vt vtrique reipublicae et litterariae et ciuili  
idoneus viuam. Nec in hoc humanitatis officio TIBI vn-  
quam deero. De hoc autem ITINERARIO, quod mo-  
nerem non habeo. Videbis in eo SARBIEVIUM.  
Pauca erunt quae offendent. Mea tamen sententia ipsi  
danda. Dedi carmen vt habuit codex manu scriptus.  
Sit modo animi nostri in TE pii argumentum. Ita ve-  
ro vale, resque TUAS age feliciter. Scribebam Dres-  
dae VI. Kal. Decembr. A. S. CIOCCCLIII

ELEGIA



*E L E G I A*  
*I T I N E R A R I A*

*R. P. MATH. CASIM. SARBIEVII*

*S. I. POLONI*

*QVAM ROMA SCRIPSIT*

*AD*

*R. P. SIGISMVND. LAVXMIN. (\*)*

*S O C. I E S V.*



*V* *bis Hyperboreos non segnīs, epistola,*  
*campos*  
*Qua riguus patriam Vistula lambit hu-*  
*mmum.*

*Neu pudeat quod firma parum vestigia figas*  
*Alternoque cadens saucia crura pede.*

*A*

*Quae*

(\*) *Polonus, ex Samogitia oriundus, A. S. MDCXVI. in*  
*Societatem IESV cooptatus, in qua etiam quatuor illa*  
*sol-*

*Quae procul audaci conantur in aera saltu  
 Tesqua pruinosum ferre sub astra caput  
 Nubiferos Alpes, supposta Ceraunia caelo  
 Et Pyreneis aemula saxa iugis,  
 Saepe per obstantes, dum te remorantur, hiatus,  
 Succiduos cliues detinuisse pedes.  
 Forsan ubi planos Aquilonia regna Triones  
 Et patrios felix acceleraris agros*

*Inci-*

*sollemnia vota nuncupauit. Ad disciplinas humaniores  
 iuuentutem docendas, quasi natus, iuuentuti in iis apprime  
 utilis fuit. Collegiis Polocensi, Plocensi, Crofensi postea  
 non sine singulari humanitatis et prudentiae laude praefe-  
 ctus, Lithuaniae etiam prouinciam Viceprouincialis cum  
 applausu omnium gubernauit. Ad decimam et undeci-  
 mam Congregationem, quas dicunt Generales Romam a  
 Prouincia missus, ex voto res suas gessit. Senex LXXIV.  
 aetatis anno, Vilnae d. XI. Septbris. A. MDCCXX. obiit,  
 scriptisque suis, ad captum iuuentutis adornatis, sibi ipsi  
 monumenta posuit. Vid. Alegambe Bibliotheca Scri-  
 ptorum Soc. Iesu per Sotvellum edit. Romanae  
 MDC. LXXVI. in fol. p. 740.*



*Incipient virides passim subsidere campi,  
Celsa videbuntur detinuisse iuga.*

*Et quae Vistuleis late perfunditur undis  
Praebeat facilis mollior ora vias.*

*Hic ubi Sarmaticas cursu superaueris arces  
Qua vagus irriguis Narvia serpit agris  
Pyeriis repetes regnata palatia Musis  
Pultopolitano sacra lycaea Deo.*

*Hic sociis referes, ut idonea vitibus arua,  
Et Latios tandem transierimus agros.*

*Et Patribus primum missam largito salutem.*

*A me NICOLAO (\*) fer mea vota meo.*

*A ij*

*Huic*

(\*) Fallor? an hic Nicolaus, sit NIC. KMICIC, Iosephatidos, carminis Heroici, & Dithyrambi in Epicitharismate ad Sarbieuii Lyram auctor. Vid. Alegambe edit. laud. fol. 630.

*Huic nostrae mala dura viae mala dura laboris  
Castiliis referes officiosa modis.*

*Prima profecturos Posnania vidit alumnos*

*Extremum sociis ingeminare Vale.*

*Vidit in amplexum caros se fundere Fratres*

*Laetaque confusis dicere vota sonis.*

*Inde per extremas, qua Marchia flectitur, oras,*

*Et niger illimes Odera voluit aquas.*

*Saxoniae tractus, infidaque regna venimus.*

*Apta peregrinis Lipsia tecta dedit.*

*Tota lutheranis sed inhospita Lipsia sacris,*

*Imperiurata religione furit.*

*Hic dum antiquas, immania marmora, sedes,*

*Structaque non parca saxea templa manu*

*Miramur taciti, pollutaque sacra dolemus,*

*Atque profanatas, commiseramur opes.*

Po-

*Postera cum primos aurora reduceret ortus  
 Ad currum biiuges associantur equi.  
 Erigimur stratis et perfida linquimus arua.  
 Totus erat pluuiio nubilus imbre dies.  
 Heu mihi! sol aliam postquam tulit aequore lucem  
 Totus erat nimio torridus igne dies.  
 Hic mihi flammantes, incandescibat, ad aestus  
 Et subito totum languuit igne caput.  
 Prae foribus malesana febris iam stabat et ingens,  
 Indeplorati corporis ardor erat.  
 Causa mali, montes, quos flamma recipora torret  
 Sole repercussas eiaculante faces.  
 Nam si vera rudes enarrauere coloni,  
 Hic magis aestiuo Virgo Leone furit;  
 Pandaque mortiferos defundit Libra vapores  
 Aestatisque vices, imperiumque tenet.*

*A iij*

*Cau-*

*Causa latet. Serosne petat vindemia soles,  
 An vitio sicci candeat aura soli?  
 Pronior an aestas, ubi sol aspexerit Alpes  
 Rectior obliquis torreat arua rotis?  
 Forte super alio riguique crepidine saxi  
 Imperturbatae vena fluebat aquae. (rum,  
 Ergo susurrantum moror ad breue frigus aqua-  
 Atque caua lympham sorbeo saepe manu.  
 Illicet irriguus paulatim cedere languor  
 Et coepere graues fortius ire pedes.  
 Ire graues coepere pedes. Nam sarcina currus  
 Stare fatigatos saepe coegit equos.  
 Obscaenaque rotae dum conitarentur in vlna  
 Aut vada torrentum traicienda forent,  
 Mille reuertentes explorauere recessus,  
 Mille paludosas circumiere vias.*

*Prae-*

*Praeuehimur celsas, habitata cacumina, rupes,  
Praeuehimur summis pendula tecta iugis.*

*Hic alias fortuna vias aliosque labores*

*Opposuit nostris inuidiosa viis.*

*Silua fuit multos incidua silua per annos,*

*Quercubus annosis illicibusque vetus.*

*Pene supinatae veniebant sidera frondes,*

*Pene videbantur Tartara pene peti.*

*Praeterea tumulis et hiantibus aspera cliuis*

*Petra, ruinosum praepediebat iter.*

*Ingenium spelunca doli ideamque nocendi*

*Indeclinatus trames habebat opem.*

*(num,*

*Pergimus intrepidi tamen, immemoresque latro-*

*Cum nos admissis insequerentur equis.*

*Nam leuis extemplo claris equitatus in armis*

*Umbrosam denso milite saepit iter.*

*Re-*

## VIII

*Respicio, creberque manu iam fulgurat ensis  
 Nudus et exerta cuspide mucro sitit.  
 Crebra repentini praenuncia Machina leti  
 Atque volaturis fistula foeta globis.  
 Adducto silicis flammis irritat hiatu  
 Ut vomerent clausae plumbea tela faces.  
 At mihi confurgit non moto crine galerus  
 Quassaque non dubio corda timore micant.  
 Interea pernix equitum manus aduolat et se  
 Prodit inauditis barbara lingua minis.  
 Intentat iugulis faciles et vulnera contos  
 Et fodiunt grauidis ora latusque sclopis.  
 Ipse meas exploro manus. Manus ense carebat.  
 Respicio currum. Currus inermis erat.  
 At mihi NICOLEOS certos signatur in ictus  
 Afflictumque solo barbara dextra ferit.*

*Ill-*

Illius gemitus et singultantia longe  
 Mista velut riguo sanguine verba bibo.  
 Dumque reor vocem veluti morientis amici  
 Quae vox percussi, non morientis erat.  
 Quae data porta ruo dubiaeque pericula vitae  
 Euitaturam non moror ipse fugam.  
 Et celeres propero, per aperta, per inuia, plantas,  
 Destua frondosum qua tegit vnda nemus.  
 Interea fossae, pretiosa pericula terrae  
 Vnum, quod tanti caussa laboris erat,  
 Argentum modici, mala vectigalia, census  
 Depraedatrices diripuerunt manus.  
 Adstabant moesti, leuius sed adempta sodales  
 Omnia, quam longas indoluere vias. (stes,  
 Vos, ego tunc, quercus, Vos, frigida marmora, te-  
 Vos, imploro meae, conscia saxa, fugae.

B

Vos

*Vos etiam, nam Vos memini miserebat euntis,  
 Indesolatis, hospita lustra, feris.  
 Quin etiam misero respondebatis ab antris,  
 Fracta repercussis dum redit Echo sonis.  
 Quos ego tunc, audistis enim, moestaeque querellae  
 Vocibus impulsas attonuere petras:  
 Quos ego tunc gemitus, aut quae suspiria fudi,  
 Dum velut occiso solus Achate queror!  
 Et queror et dubio rursus sub corde reuoluo  
 Viveret! et tantum saucius ille foret!  
 Occisum rursus reor, et perniciosior Euris  
 Plana repentino prouehor arua gradu.  
 Stramineas prope forte domos stipulisque colebat  
 Non bene protectas rustica turba casas.  
 Accelero lacrymansque peto miserabile caedis  
 Effugium, taciti nuncius ipse mali.*

Con-



*Conueniunt lassumque solantur agrestes.*

*At mihi fumosus vertice sudor abit.*

*Genua labant. Totus tremit ater anhelitus artus*

*Et negat expressos languida lingua sonos.*

*Sic magis ut lamentarentur, in ipsos*

*Illorum fletus, ingeniosus eram.*

*Atque meos tandem casus, interprete nutu,*

*(Nam fuit ad Sueuos hospita lingua, modos.)*

*Vndique me turba circumstipante renarro,*

*Et queror indignas illacrymando vices.*

*Illicet ex oculis pius excidit omnibus imber,*

*Et lacrymis grandes intepuere genae.*

*Inde ferunt Cererem pressique coagula lactis,*

*Et quae vicino fonte fluebat, aquam.*

*Accedo mensis et dulcis cymbia lymphae*

*Haurio. De salso plus tamen imbre bibo,*

B ij

In-

*Iniussae. quamquam miscebant fercula guttae,  
 Condibatque rudes flebilis vnda cibos.  
 Ut cessere dapes, vir idem, familia, turrim,  
 Nocturni repeto mollia fulcra tori.  
 Longa, sed inuisam, remouet dum cura, quietem,  
 Lassa recusabant membra sopore frui.  
 Heu mihi quam picti tum segnis inertia mundi,  
 Visaque quam tardo sydera nare polo!  
 Ipsa videbantur glacialis claustra Bootae  
 Prensa Lycaonio diriguisse gelu.  
 Expergiscientis vix tandem cornua lunae  
 Prospicio summis euigilare iugis.  
 Suspicio roseoque pigram Titonida lecto,  
 Et queror immites stertere lucis equos.  
 Inuitata meis cum mox aurora querebis  
 Eoo roseum protulit amne caput.*

Con-

*Consurgo faustumque precor mihi surgere solem  
 Et superos supplex in mea vota voco.  
 Audiuere preces. Sociae nam nuncia vitae  
 Fraternal venit littera missa manu.  
 Et breuis illius fuerat sententia scripti:  
 Nil mihi rescribas, attamen ipse veni.  
 Continuo castigo moras sylvamque remensus,  
 Affero sollicitis Patribus, hospes, aue.  
 Et simul apposita curamus corpora caena  
 Membraque frondoso sternimus apta toro.  
 Mane petebatur propero Bambergae meatu,  
 Naufragii statio portus et illa fuit.  
 Hic habitat clarus deuota sacraria Musis,  
 Cultorum IESV docta caterua Patrum.  
 Hospita tecta patent, consternatique labore  
 Solamur longa perdita membra fame.*

B iij

Inde

*Inde Ratisbonam, quam turbidus alluit Ister  
 Et circumfusus luxuriatur aquis:  
 Quasque colit sedes Ingolstadiana iuventus,  
 Et Monaci celsas regia tecta domos:  
 Mox Hallam petimus vicinaque moenibus Hallae  
 Moenia, quae ruptis alluis, Oene, vadis.  
 Hinc inter canas hyberna cacumina rupes  
 Et quae Sol toruis aspicit arua genis  
 Brixina, Volsanique procul vineata petuntur  
 Atque Tridentini pinguia rura soli.  
 Septa latrocinii caecis via rursus ab armis,  
 Flumineum cautos ire coegit iter.  
 Arboreaue super liquidas strue currimus undas,  
 Et Latiae tandem radimus arua plagae.  
 Postera, cum roseas lux emerisset in auras,  
 Et iam sole recens enituisse humus,*

*Pul-*

*Pulchra coronatas attollit Mantua turres,  
 Andinique patent aurea tecta Ducis.  
 Ingredimur, densis glomerantur compita turbis  
 Et populi toto fluctuat vnda foro.  
 Hinc picturatis laqueata palatia saxis,  
 Templaque diuitibus conspicienda tholis:  
 Hinc fora mirantum venantur lumina Patrum  
 Et foribus celsae porticibusque domus:  
 Nec minus attonitas opulenta Bononia mentes,  
 Nec minus antiquae detinere Senae.  
 Vna tamen Latias inter Florentia sedes,  
 Visa mihi nitidos disposuisse lares.  
 Qualia pubentes variant violaria sulcos,  
 Sertaque dispositis floribus arua placent.  
 Vitiferos illinc non sobria culmina montes,  
 Scandimus, Hetruscos praeuehimurque lacus.*

*Et.*

*Et tandem pluuium caelo reuehente Nouembrem,  
Flaminiae terimus puluerulenta viae.*

*Apparent centum pendentia templa colonis:*

*Apparent Latio pegmata celsa foro.*

*Ipsaque Roma patet. Salue pulcherrima rerum  
Roma, Palatinis, ardua Roma, iugis.*

*Pulchra quatergemini salue, domus hospita, mundi  
Diuine, salue, Religionis honos.*

*Quae mare, quae terras, et utroque rubentia sole  
De Capitolino vertice regna vides.*

*Hinc Quirinales rerum fastigia, cliui?*

*Haene Vaticanae regia tecta domus? (bem*

*His primum attonitum speculatur ab arcibus or-  
Regna cui flexo procubuere genu.*

*Cui Polus et late liquidi patet aetheris aula  
Et referat famulas ad pia iussa fores?*

## XVII

*O quanta rerum se maiestate coronat  
 Quantaque vicinis inuidet aula polis!  
 Ille tamen qui se mirantibus inuehit astris  
 Et caua non humilis nubila tranat apex?  
 O quantum spatii indulget, et aera quantum  
 Occupat et brutam vertice spernit humum!  
 Scilicet ampla patet Laurentis regia Petri  
 Constantine, Tua, regia, coepta manu.  
 Hanc circum tot iam lassantur saecula molem,  
 Et serum mundi grande fatigat opus.  
 Interitus abiisse suo tot vidit in ortu,  
 Regnaque dum pereunt, nascitur vna domus.  
 Ipsa suo segnis miratur machina nisu,  
 Inconsummata tecta stupere mora.  
 Dumque vetat tantos operum dormire labores,  
 Artificum lentas increpat ipsa manus.*

C

Sic

*Sic mecum tacitus miror, dum moenia subter  
 Densa suburbanum vinea monstrat iter.  
 Interea pronas Sol detorquebat habenas,  
 Et niger aduersos Vesper agebat equos.  
 Farnesiana patet nostrae domus hospita caenae  
 Quae tamen a IESU nomine nomen habet.  
 Mane venit. Latiis petimus sacra tecta Camenis  
 Gregorii Sanctae quae posuistis opes.  
 Hic in Apollineos aliam Permissida ludos  
 Hippocreneae constituere Deae (rum  
 Haec domus, haec requies nobis haec meta labo-  
 Non euenturi meta doloris erat.  
 Nicoleon ipso tecti de limine caepit  
 Febris inassuetis sollicitare modis.  
 Dumque repentino corpus depascitur igni  
 Ante bis ad quartum sueta redire diem.*

In-



*Insuperata meo quid nuncia demorer ore?*

*Intempestiuo funere Frater obit.*

*Non Corcyreis illum Podalyrius herbis*

*Non data Paeonia pharmaca saepe manu,*

*Non illum fatis medicis sata gramina campis,*

*Non instillatae praeripuistis aquae.*

*Vidimus attonitos fraterna morte Sodales,*

*Pallida deiectis flere per ora genis.*

*Ast ego, quas illi lacrymas, quae carmina fundam,*

*Singultu medios impediante sonos?*

*Quaelibet humentes irroret lacryma vultus.*

*Est pro materia parua futura sua.*

*An faciles deflebo suo cum pondere mores,*

*Eloquiine sacras et pietatis opes?*

*An festinati praereptas crimine leti*

*Ingenii dotes, diuitiasque sui?*

C ij

Ce-

Q. A. H. C. 1806

XX

*Cetera quid memorem? vacuat sua lumina moeror  
Et lacrymae steriles destituere genas.  
Annis, adulanti, quicumque, rosaria, lympha  
Lambis et aeterna vergis in aura fuga:  
Et Vos, caerulea, riui, de plebe, minores,  
Qui vehitis domino parca tributa mari:  
Et Tu Tybri tuam qui circumlaberis urbem  
Et famulas praeter moenia voluis aquas:  
Si licet, et ripas oculis mutare placebit,  
Per mea flumineas lumina flecte vias.  
Flectit, et undosis gemitum singultibus arcet.  
Vix finit extrema dicere voce: Vale*

---

IN VILLA FRIDERICIANA AD DRESDAM

EX TYPOGRAPHIA HAGENMÜLLERI

Pon Tlc 1806,


QK

ULB Halle  
002 629 356

3







h. 534, 33

B. m. 1

II c  
1806


MATH. CASIMIRI SARBIEVII

R. P. SOC. IESV. POLONI

ELEGIA

ITTNERARIA

EX MSC. EDITA



DRESDAE

IN OFFICINA HEKELIANA

A. S. c1b 1806 LIII

